

nem similem fieri positioni antecedentis. Id autem nequaquam accidere, nisi locus sequens traducatur ad semicirculum, in quo statuebatur locus antecedens, quod & Hali expositor eius confirmat. Verum duo modi eius cum exemplis à computatione directoria, qua memoratus Parmen- sis, ac penè omnes alij vtuntur, non discrepant. Quid igitur de tam prudenti, quam eruditissimo viro sentiemus? Nunquid tantum philo- sophum repugnantes asseruisse sententias impunè suspicabimur? Credo equidem Ptolemæum & seriò tradidisse fundamentum artis per semi- circulos huiusmodi, & modum numerandi apprimè calluisse, quamvis difficultem, adeò ut perplexum potius redderet auditorem quam doctum. Satius ergo putans, propè verum versari, quam veritatem ipsam ra- dicitus quærendo desperare, supputationes quasdam breues veritati pro- pinquas exposuit. Quod haud quaquam mirum videri debet, cum & nostra ætate Ragusimus ille Ioannes Gazulus tametsi Ptolemæi eru- ditissimi, Gebuq; acutissimi, ac aliorum plurimorum doctrinas accepe- rit, nullam tamen prorsus numerandi facilitatem in directionibus ac- æquandis domibus aduexit: quinimo turbam maximam multitudine argumentationum concitauit. Quantum itaq; difficultatis in hoc existit negotio, satis liquet. Quid autem commodi nanciscemur, si generalis quædam artis directoriae promptitudo nobis illata fuerit, ex libris Iudi- cum abunde colligetur, vbi tempora futurorum accidentium omnium per directiones potissimum inuestigari solent. Tantam igitur utilitatem præsul dignissime directionum tabulæ afferent, quas petebas, in quacun- que regione latitudinem 60. graduum non excedente, siue significator dirigendus in itinere solari existat, siue ab eo versus alterum polorum secedat, in quibus maximam Solis ab Æquatore supposui declinationem trium & viginti graduum cum dimidio, obseruationibus modernis ma- iorem non admittentibus. In omni demum regione duodecim cœli domici- lia constituere, ac in eis stellas distribuere, aliaq; plurima scitu iucundis- sima per hasce tabulas addiscere licebit. Eas itaq; primitias operum me- orum suscipere digneris, quas vbi pro acumine ingenij tui probaueris, in publicum prodire iubeto. Vale præsulum decus.